Utilizza questo identificativo per citare o creare un link a questo documento:
`http://hdl.handle.net/123456789/2200`

Titolo:	Disposizione viceregia
Autore:	Comune di Iglesias
Data:	16-Apr-1361
Descrizione:	Il Governatore di Cagliari e Gallura, Esimino Perez di Calatayud, emana una serie di provvedimenti in merito alle contribuzioni dovute da Iglesias , Villamassargia, Gonnesa e Domusnovas e al loro utilizzo a favore della città di Iglesias per risarcire i sudditi rimasti fedeli agli aragonesi, danneggiati al tempo della ribellione dei sardi.
URI:	http://hdl.handle.net/123456789/2200
Altri identificatori:	A.S.C.IGL 22
È visualizzato nelle collezioni:	Atti singoli

File in questo documento:

Visualizzazione avanzata delle risorse

File	Descrizione	Dimensioni	Formato	
00000361.jpg		1,57 MB	JPEG	 Visualizza/apri
00000362.jpg		1,74 MB	JPEG	 Visualizza/apri

Visualizza tutti i metadati del documento

Tutti i documenti archiviati in DSpace sono protetti da copyright. Tutti i diritti riservati.

W3C XHTML 1.0

DSpace Software Copyright 2002-2005 MIT and Hewlett-Packard - Feedback

Pateat cunctis. Quod Nos Eximinus petri de Calataiubio miles Gubernator et Reformator Calleri et Gallure pro illustrissimo domino Rege Aragonum. Circa statum prosperum et augmentum ville Ecclesie de Sigerro eiusque capitanie et iurium Regiorum volentes
providere, ac prout nostro incumbit officio providere, apud ipsam villam ut exinde dampna ipsius et incomoda repelleremus et eius utilia et comoda procuraremus, una cum probis et notabilibus personis direximus gressus nostros. Et dum in illa personaliter constituti super hiis
cum dictis personis notabilibus et cum consiliariis et probis hominibus dicte ville ecclesie et pluribus aliis ipsius ville ecclesie fidedignis haberemus huiusmodi colloquium et tractatum, ad ipsius ville comodum et augmentum, plures provisiones et ordinationes facimus et
facere intendimus divino annuente. Et inprimis de rei veritate comperimus omnibus affirmantibus refectionem murorum seu meniorum dicte ville, quam dominus Rex prefatus fieri mandaverat, et iam in ipsa refectione distribute fuerant diverse pecunie quanti-
tates, non fore presencialiter necessariam, sed potius ex causis legitimis periculosam et etiam nocivam, sed necessarium esse domos in castro dicte ville hedificare et alia ibi fieri pro defensione ipsius, cum sit tuicio dicte ville et personarum ipsius defensio et
refugium singulare. Et quod ex impositionibus seu vectigalibus dudum impositis et concessis per magestatem Regiam in villis curatoriarum Sigerri et Sulcis, pro convertendo duas partes ipsarum impositionum in ipsa refectione murorum, et aliam terciam partem in
satisfactione dampnorum sustentorum per aliquos dicte ville ecclesie fideles regios tempore rebellionis Sardorum, prout in capitulis regiis inde factis lacius continetur, dicta villa ecclesie eiusque capitania fuerunt et sunt totaliter agravate, ac in futurum sine prefinicione temporis
gravarentur si dicta vectigalia restarent in toto [illegible] et predicta dampna dictorum fidelium integre satisfiant, quod ad destructionem populi eius deveniret, et iura regia cum magna diminucione lederentur. Cum ad complendam refectionem iamdictam, et ad ipsam integram
satisfactionem dictorum dampnorum non sufficerent magne pecunie quantitates. Attendentes igitur dictam refectionem esse periculosam ut predicitur et nocivam [illegible] causa dicte impositiones in duabus partibus fuerunt constitute, dictarum impositionum [illegible] prefinita [illegible] prefectas (?)
prefixo certo et prefinito tempore tollere, ac etiam amovere, ac predictis fidelibus de ipsis impositionibus in aliquo satisfacere cum quasi nichil exinde habere sperarent propter refectionem iamdictam et alios necessarios sumptus qui dicte ville ecclesie continue incumbebant, et etiam incumbunt.
Idcirco super infrascriptis prehabita ordinata (?) matura deliberacione plenaria et consilio pleniori cum venerabili Ffrancischo de Corrallo actore manumissore illustrissimi domini Alfonsi bone memorie Regis Aragonum, ac de ipsius actoris consensu et voluntate, ac ad humilem suppli-
cationem consiliariorum dicte ville ecclesie et ipsius ville plurium personarum, precipue quarundam, quibus dicta satisfactio fieri debet, super dictis impositionibus removendis tangentibus dictam villam ecclesie, villam Massargiam, villam Conesie et villam Domus
nove earum, capitanie dicte ville, infrascriptas provisiones et ordinationes facimus cum presenti, prout inferius continetur. Inprimis igitur ex causis supradictis omnes predictas impositiones dictis villis impositas sub infrascriptis temporibus, oneribus, pactis
et condicionibus, ex nunc ut ex tunc post infrascripta finita tempora removemus, ac etiam revocamus, ita quod ex causa revocationis et remocionis iamdicte, dicta villa ecclesie, villa Massargia, villa domus nove et villa Conesie earum, et omnes habitantes in eis sol-
vere teneantur quinque mille libras monete alfonsinorum minutorum, convertendas et distribuendas prout inferius declaratur, quam quantitatem infra tempus quinque annorum, a kalendis mensis decembris proxime futuri incipiendorum et ex tunc inantea continue sequendorum,
videlicet anno quolibet mille libras per tres tercias dicti anni solvere teneantur. Et ut ipsa quantitas dictarum quinque mille librarum facilius solvi possit, et certa debita tabule impositionum etiam persolvantur, cum non nisi modo subscripto dicte quantitates et ipsa debita commo-
de solvi possent, providemus et volumus quod impositiones predicte nunc solvi assuete in dictis villis durent et leventur per collectorem ipsarum, et vendantur prout nunc levantur et etiam venduntur, per totum dictum tempus quinque annorum, et ab hodie ad dictas kalendas
Decembris tantummodo, pro dicta quantitate quinque mille librarum, et dictis debitis persolvendis, dum tamen dicti consiliarii possint ante dictum tempus finitum, scilicet quando eis videbitur, removere impositiones duorum solidorum, assuetorum solvi in dictis villis pro
qualibet vegete vini musti sardi, possint etiam post dictum tempus finitum retinere et colligi facere nostro vel alterius Gubernatoris qui pro tempore fuerit, novo et expresso interveniente consensu, et non aliter, aliquas impositiones pro eo tempore de quo eis videbitur
in dicta villa ecclesie earum et eius terminis, pro eorum necessitatibus et sumptibus subportandis, et illas removere quando eis videbitur faciendum. Et quod pro tuicione et defensione dicti castri, ac dicte ville ecclesie, et ipsius ville singularium personarum, collector dictarum
impositionum et dictarum quinque mille librarum teneatur et possit solvere curie Regie, vel cui seu quibus specialiter commiserimus, quingentas libras monete predicte, de predictis quinque mille libris, in primo anno dictorum quinque annorum de mense Marcii, aprilis et aliorum
mensium duorum sequentium, convertendas prout necessarium nobis videbitur in constructione domorum dicti castri et pro defensione et fortificacione ipsius. Et quod residue quatuor mille quingente libre, restantes de predictis quinque mille libris sint et esse
debeant, et eas nunc esse volumus dampnificatorum predictorum, qui se incluserunt in castro predicto tempore rebellionis iamdicte, et aliorum fidelium dicte Regie magestatis, secundum suam provisionem inde factam, pro satisfactione dampnorum per eos sustentorum, in eorum bonis dicto tempore, pro
rata extimationis suorum dampnorum, prout nos vel comissarii Regii potestatem inde habentes ordinandum et declarandum duxerint, et etiam providendum. Et quia propter exercicium argentarie dicte ville ecclesie, iura Regia suscipiunt incrementum, de quibus iuribus ex dicto
exercicio provenientibus, salaria officialium et clientum castri predicti et alia officialium dicte ville salaria persolvuntur, necessario convenit ut dictum exercicium continuum fieri possit et frequentetur. Ideo duximus providendum quod predicti dampnificati et fideles predicte magestatis re-
gie teneantur mutuare universitati dicte ville de dictis quatuor mille quingentis libris, ad eos ut predicitur spectantibus, duas mille libras monete predicte, quas dictus collector dictarum impositionum in primis terminis ad solvendum superius ordinatis primo exhigat, colligat
et recipiat de impositionibus [illegible] dictorum dampnificatorum, et illas duas mille libras sic habitas et collectas mutuet [illegible] mutuatas teneat nomine dictorum dampnificatorum et pro eis et tamquam ipsorum [illegible] deputato vel deputatis ad franchandum foveas
et laboreria dicte argentarie recipientibus nomine dicte universitatis, ut illas dicti deputati et deputandi convertant in exercicio dicte argentarie sub simili forma et modis quibus nunc alia pecunia dictarum impositionum in predicto exercicio convertitur, et in ipso exercicio maneat
continue, nec inde amoveatur vel peti possint per dictos dampnificatos, nisi nos vel alius qui pro tempore fuerit Gubernator hoc expresse predictis dampnificatis duxerimus vel duxerit concedendum. Et quod collectis et solutis primo predictis quingentis
libris ut supra dicitur, pro fortificatione et defensione dicti castri, et collectis etiam et postea comutuatis predictis duabus mille libris, convertendis in afranchatis iamdictis, dictus collector qui pro tempore fuerit, colligat et recipiat omnes impositiones que solvi debent et debe-
buntur per totum terminum supradictum, et ipsam quantitatem duarum mille quingentarum librarum dictis dampnificatis assignatam solvere possit et debeat eis pro rata, pro satisfactione dictorum suorum dampnorum, secundum declaracionem formam et mandatum nostrum,
vel comissariorum predictorum, et in alios usus converti non debeant sive possint. Et quod illam quantitatem pecunie que singulis quatuor mensibus toto predicto termino quinque annorum superfuerit, de predictis quantitatibus quinque mille librarum, dictus collector teneatur
et possit solvere consiliariis dicte ville, et eorum scriptoribus, ac deputatis ad dandum dictas franchitas, et sibi dicto collectori solvere possit pro eorum salariis officiorum ipsorum, et etiam possit et debeat solvere pensiones furnorum, et alia debita dicte tabule et
dicte universitatis iusta et necessaria presencia et futura, et alias expensas necessarias dictam universitatem facere incumbentes, prout usque nunc actum fuit, ac etiam consuetum. Et ut predicta omnia per nos acta maiori gaudeant firmitate, iuramus ad sancta
Dei evangelia manibus nostris corporaliter tacta, predicta omnia et singula perpetuo et inviolabiliter observare, ac observari facere, et contra non facere vel venire aliqua ratione. Mandantes cum presenti capitaneo dicte ville ecclesie, et vicariis villarum
capitanie predicte, et quibuscumque aliis officialibus Regiis presentibus et futuris, quod provisiones et ordinationes huiusmodi et omnia et singula supradicta firma habeant et observent et faciant per quoscumque firmiter observari. Et quia ad presens sigillum nostri
officii nobiscum non habemus, iubemus de predictis omnibus fieri presens publicum instrumentum per notarium infrascriptum. Quod fuit actum in villa ecclesie de Sigerro, sextadecima die aprilis, anno a Nativitate Domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo primo.
Sig+num nostri Eximini petri de Calataiub Gubernatoris et Reformatoris predicti, qui predicta omnia et singula, specialiter tamquam Reformator predictus, facimus, laudamus, concedimus et firmamus ac etiam iuramus. Sig+num mei Ffrancisci de Corrallo
actoris predicti. Qui premissis omnibus tamquam de mei consensu et voluntate factis consencio, eaque ut actor predictus laudo concedo et firmo.

Testes huius Rei sunt venerabiles Raymundo de Impuriis, Manuel de Entenca et Alibrando de Cena milites, ac Ffrancischo de Corrallo burgensis Castri Callari, Dalmacio de Jardino domicello, et Petro de Fores porterio Regio.

Sig+num mei Petri de Calidis auctoritate illustrissimi domini Regis Aragonum notarii publici per totam terram et dominationem eiusdem. Qui predictis omnibus una cum testibus supradictis rogatus interfui, eaque de mandato honorabilis Gubernato-
ris et Reformatoris predicti in hanc publicam formam redegi et scribi feci et clausi. Cum litteris suppositis in secunda linea ubi dicitur villa. Et in decima linea ubi scribitur continue. Et in undecima linea
ubi supponitur ordio (?). Et cum raso et emendato alibi in eadem linea ubi corrigitur cum venerabili Ffra:–

[illegible]

Eximii Petri de Calatayubio

16 de Abril

1301

[illegible]

P. 40

H

Orden en q. se rige e nesta Ciudad y a las Villas sujetas de alg.s imposiciones y gabellas.

Num. 8